

speque nitimur certissima, modo redintegretur, nec eam in posterum esse nec in hoc genere communi Lusatiae emolumen-to defuturam. Afferre hoc quidem tempore plura supersedeo, quae in quotidiano fere SCHÖTTGENIANI indicis vnu notatione aliqua, aut, nisi hoc vocabulum in communem nostrum paeceptorem durius usurpat, emendatione mihi indigere sunt visa. Egregie sane consuleretur prouinciae nostrae et apud se commo-dis et apud exteris honori, si quis hunc Indicem ad vnam hanc prouinciam accommodatum denuo edendum susciperet, ita ta-men, vt latius progressus, ad omnes omnisque generis excur-rat antiquitatis tabulas, publice scriptas, siue ab aliis iam diuul-gatae appareant, siue lateant adhuc premanturque tum publicis tum priuatis in tabulariis et bibliothecis, vt praeterea SCHÖTT-GENIANO more eas indicet atque ordinet, LVDEWIGIANO denique consilio patriae utilissimas reddat et necessarias.

*Hoc opus, hoc studium parui properemus et ampli,
Si patriae volumus, si nobis viuere cari.*

HORAT.

Haec iam satis ad id, quod erat propositum, dicta sunt, perorandi reliqua, opportunior fortasse aliquando erit potestas. Auocat enim me, vtque *hoc agam*, quod iubeat pietas, singu-laris monet huius diei, mihi potissimum meisque exoptatissima claritas, qua TIBI,

Vir Excellentissime, Amplissime,
Pater Optime

temporis, quo patriae TV ciuis nascere, nobis vt Pater pos-ses contingere, reddit memoria. Quare vti patriae TV primum, deinde nobis viuere didicisti; ita TVO me exemplo haud re-prehendendum existimaui, si patriae, cum TIBI id ipsum tri-buisse viderer, prius aliquid tribuerem, quam ad hanc deueni-rem coniunctionem, quae TIBI nos et hoc die obseruantissimos sisteret obstrictissimosque, nobis TE venerabilem ostenderet nostro-